Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35122
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

finis Rij finis Rij :

Per accidens sed et pot huic tropo plagali b molle contingere, sed eius forma huiusmodi contingentia non violetur.

De Trito:

1 Anima triti protho sicut iam in primordiis monstratum est, ex quarta diapente, scilicet fa fa, et ex quarta diatessaron, ut fa, dicitur esse composita. Igitur ex hac forma tritum prothum per b quadrum, et non per b molle dicimus decantari. Diapente namque illud eius tropi prius prima, in eius compositione b molle non suscipit, quia diapente ab F ad C b molle suscipiens, non quod trito conveniens est, sed quod tetrardo convenit, admittit. Et si per b molle tritus cantaretur, formam suam omnino perderet et aliam induceret, scilicet tetrardi formam, que ad eius partem inferiorem que ad diapente spectat. Et sic tritus, quo ad unam eius partem ex forma tetrardi, tetrardus esset, et ex propria tritus esset, et tritus esset tetrardus et tritus, quod est omnino impossibile. Ratio autem huius impossibilitatis est, quoniam ut dictum est, unius rei una tantum est forma substantialis, sed accidentales plures possit habere formas. Non ergo per b molle debet propie decantari tritus. Et quia forma rei est tota in toto et in qualibet parte, ideo dicimus totum tritum unam habere formam et in toto et in parte, et ipsum in ascensu et descensu per b quadrum debere cantari, quia eius ascensus et descensus eadem est forma. Nichil ergo intellexerunt qui dixerunt tritum in ascensu per b quadrum cantari, et in descensu per b molle pronuntiari. Demonstratur exemplum in Responsorio Regnum mundi, cuius ascensus ad diapente atque descensus solo b quadro pronuntiatur, ut hic:



Regnum mundi :